

366 DE CVLTV DEO IN DIE DOMINICA
tinacia, & quod incorrigibiles, orandum potius pro conversione eo-
rum, sicut Christus oravit pro hostibus Luc. XXIII, 34. Stephano-
nus Act. VII, 67.

§. 6. Dic. 4. Personæ publicæ licite orare possunt contra hostes
publicos, ita David oravit contra hostes suos Ps. XXXV, 1. *Impugna
Domine impugnantes me, & Paulus contra Pseudo-Apostolos, utinam ab-
scindantur, qui vos labefactant.*

§. 7. Denique monendum, quod exempla eorum in sacris lite-
ris, qui contra personas hostium orarunt, non facile ad imitationem
trahenda sint, cum enim y. g. David, Paulus contra personas hosti-
um orarunt, certi fuerunt, hostes plane incorrigibiles, & pœnæ di-
vinae destinatos esse, unde imprecations eorum non tam fuerunt pre-
ces, quibus male hostibus esse vellent, quam prophetiae de iis, quæ im-
piis eventura erant.

TITVLVS SEPTIMVS

DE

Cultu Deo in die Dominica aut Festis exhibendo.

CASVS I.

AN in die Dominica vel Festo concedi possint exercitia palæ-
strica, jaculationes & similia?

§. 1.

Non est quæstio de die Sabbathi aut festo quoad illud tempus,
quo sacra publica peraguntur, hinc enim extra controversiam po-
situm est, aliis exercitiis, quoque veniunt nomine, locum non
esse concedendum, præferendum enim est exercitium Deo sacrum,
quando scilicet verbum prædicatur & auditur, sacramenta admini-
strantur, Deus sanctiscantionibus celebratur.

§. 2. Sed quæstio est de parte diei Dominici aut festi, post cul-
tum Dei publicum, ubi sacra publica finita, an ea parte diei concedi
possint exercitia palæstrica, jaculationes, ludi, comœdiae & similia ex-
ercitia? ubi non una est sententia, alii affirmativam, alii negativam
amplectuntur.

§. 3. Si absolute hæc quæstio consideretur, dicendum omnino,
quod rectius agant, qui etiam post cultum publicum, reliquam
diei